



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 2. Quotuplex est Juramentum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

Suarez, Azor, Sanchez & alii, etsi illa juramenti significandi vim non habeant; nam tunc per verba illa quæcunque sint, vult assumere Deum in testem. In dubio de ejus intentione judicari debet secundum communem verborum, quibus usus est, acceptionem.

Q. 2. Quotuplex est Juramentum?

Resp. Juramentum dividitur i. In explicitum, quo Dei testimonium expressè invocatur, dicendo, v. g. *Deum testor: Juro per Deum: per Deum ita est: Deum testem invoco, &c.* & implicitum, quo implicite solum Deus adducitur in testem, ut *per Deum: Vivit Deus.* hoc est, per vitam Dei, seu per Deum viventem: vel cum quis jurat per Creaturas nobiliores, in quibus Dei potentia, vel alia perfectio specialiter elucet, vel quæ habent specialem relationem ad Deum; tunc enim earum author tanquam in illis representatus seu præsens censetur in testem adduci, ut si dicas, *juro per Cælum, per Terram, per Templum, per Evangelium, per fidem Christianam, &c.* Item *per Sanctos* intuitu Dei, qui in eis peculiari modo habitat, & virtutem ac veritatem ostendit. Vel *per meam animam, in anima mea*, nam Deus in anima rationali specialiter splendet tanquam in imagine, proindeque censetur Deus in eis splendens

dens adduci in testem. *Sanchez, Suarez & alii.*

2. In solemne, quod fit cum aliqua solemnitate, v. g. certâ verborum formulâ, vel coram Notario, & duobus testibus, vel in iudicio, vel contactu Evangelii, aut Reliquiarum: & simplex, quod fit absque solemnitate.

3. In contestatorium, quo Deus solùm ut testis vocatur, v. g. *Per Deum*; & execratorium, quo Deus in testem simul & vindicem advocatur, unde fit per imprecationem, ut *puniat me Deus: damner: volo mori: dæmon me auferat: nunquam videam Deum, si &c.* Item *per meam, vel alterius vitam, aut salutem: vel in vita, salute* nam sensus est, Deus auferat mihi, vel illi vitam, si &c. Item *super animam meam*; nam sensus est, damnum patiatur anima mea, nisi ita sit; & istud, *ita me Deus adjuvet*, hoc est, nisi ita sit, Deus me non adjuvet. Cùm autem execrationes, quæ Dei nomen, vel Sanctorum, aut nostra Mysteria continent, ex ira proferuntur, tunc sunt blasphemix, quia contumeliosè pronuntiantur.

4. In assertorium, quo confirmatur dictum, vel factum de præsentî, vel præterito, aut propositum de futuro sine promissione, ut cùm quis jurat se facturum aliquid, licet illud nemini promittat: & promissorium, quo quis confirmat promissum, &

& se obligat alicui ad aliquid pro futuro: hocque est vel absolutum, vel conditionatum, quod scilicet habet conditionem expressam, aut tacitam, ex dispositione juris, vel intentione jurantis.

Q. 3. *An & quando licet jurare?*

Resp. I. Licet eum certis conditionibus jurare. Constat. 1. ex Deut. 6. *per nomen illius jurabis.* & Ps. 62. *laudabuntur omnes, qui jurant in Eo.* 2. ex traditione, & praxi Ecclesiæ. 3. Quia juramentum est actus Patriæ, quo jurans tacitè testatur, Deum habere rerum omnium cognitionem, & veracitatem infallibilem, ac providentiam rerum humanarum. Imò est obligatio jurandi. 1. quando à Superiore legitimè exigitur. 2. quoties necessarium est ad subveniendum proximo; nam lex charitatis obligat ad ejus necessitati subveniendum mediò licitò, præsertim facili, quale est juramentum.

Resp. II. Ut licitè fiat juramentum requiruntur tres conditiones, seu comites, scilicet veritas, judicium, & justitia. Ita omnes & constat tum ex Jerem. 4. *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in justitia.* Tum quia, si una ex illis deest, committitur irreverentia in Deum. Veritas exigit, ut jurans, prudenter, & certò judicet verum esse id, quod dicit:
&